



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibvs Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1616

9. Aliæ quæstiones ad eandem rem attinentes diluuntur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14007

infamari in pauperum usus, non tamen dedit mandatum, ut restituat si non impenderit in pauperes. Ac proinde beneficiorum reditus sunt quadam ex parte Clericorum fideicommissi, ut dicitur quod superat, egeatibus. quem admodum si Rex vel Princeps aliquis mille nummos aureos Titio dedisset, imposito quoque precepto, ut ex eis sibi ad vitam necessaria sumeret, reliquum vero in morte vel vita Caio, vel Sempronio daret. Nihil item refert bona sint diuisa, an indiuisa: quod enim sint diuisa, liberius dominium: quam antea non arguunt. Veluti si Rex Titio mille scuta iure & titulo fideicommissi daret, ut sibi ex eis necessaria ad victum & vestitum perciperet, & reliquum in morte Caio daret. Idem profecto esset, si diceret: Sume tibi hanc totam pecuniam quantitatem: & deinde dedisset preceptum, ut prater id quod esset ad vitam usum necessarium, reliquum in pauperes distribueret. Quoniam haec enim diximus Beneficiarios precepto, & lege ab ecclesia posita, in viuersum, quae ex suis beneficiis superant, aut superant, in usus egenorum erogare debere, soluendae sunt aliae quaestiones.

CAP. IX.

Alia quaestiones ad eandem rem atinentes diluuntur.

Primo quaeritur, An Beneficiarius de fructibus sui beneficij possit condere testamentum? Certe iuris est, eum posse testari de patrimonio, videlicet, de bonis paternae successione vel cognationis iure obtentis; vel arte, doctrina, industria, ingenio acquisitis: vel consanguineorum, amicorum, vel aliorum donatione absque ulla Ecclesiae ratione comparatis, s. *Episcopi*. 12. q. 1. c. *Placuit, eadem causa*, & q. 5. cap. *Quia nos*. c. *Relatum*. 2. §. *Ceterum*, cap. *Requisisti*. §. *Illud, de Testam.* Constat etiam iure communi de bonis ex Ecclesia quaesitis, hoc est, de fructibus beneficij non posse testari. cap. *Episcopi*, c. *sint mansisti*, 12. q. 1. c. *Quia nos*, c. *Cum in officio*. c. *Relatum*. 2. de Testam.

Tota igitur praesens controuersia in duobus versatur: Primo, An consuetudine introduci queat, ut beneficiarius possit de fructibus sui beneficij facere testamentum. Secundo, An Rom. Pont. possit facultatem concedere, ut Episcopi, & alij Superiores, Beneficiarij itidem inferiores testentur de bonis ratione suarum Ecclesiarum quaesitis.

Quod atinet ad primum caput propositae quaestione, dicitur sunt Auctororum sententiae: quarum primam affirmat posse id consuetudine introduci, siue Beneficiarij sint simplices, nullam rerum Ecclesiasticarum administrationem habentes, siue habentes: nec usum eiusmodi improbandum, si alicubi existerit. Sic opinantur Hostiensis, Ioan. Andreas, Faber, Imola, Antonius, & inter Theologos Palud. Antonius, quos omnes refert Couarruius. De Testam. c. *Cum in officio*, n. 9. id probant, quia beneficiarij etiam Episcopi, & alij Superiores, aut sola lege misericordiae & charitatis debent impendere in egenum usum, quae ipsis superant ex redditibus Ecclesiarum, aut saltem lege & precepto ab ecclesia constituto, quocumque tandem modo id facere cogantur: consequitur, ut solo iure scripto videlicet Canonico prohibeantur testari: sed ius scriptum Ciuile vel Canonicum potest consuetudine, vel ex toto, vel ex parte abrogari.

Secunda opinio negat posse consuetudine introduci, ut Beneficiarius testetur simpliciter ad quosvis usum etiam non pios, quamuis consuetudo testandi ad usum & causas pias possit induci. Sic Archidiaconus, Franc. Barbatus, Aluarus, Pelagius, & inter Theologos Angel. Siluest. & Maior apud Couarruiam De Testam. cap. *Cum in officio* numer. 9. Hanc opinionem defendit Nauarrus in suo illo libello De Redditiibus Ecclesiasticis per totam quaestionem tertiam. Vtrumque probat. Primo, quia Beneficiarius

nullum prorsus dominium habet eius, quod ipsi superest ex fructibus beneficij, & lege iustitiae id in communes indigentium usum dispensare compellitur: sed nemo potest de re aliena conficere testamentum. Secundum concludit: quia Beneficiarius solo iure Canonico ad pias causas & usum testari prohibetur: nam etsi in pauperum usum debet impendere id, quod ipsi redundat, prohibuit tamen ecclesia quo minus moriens vel infirmus ad pios usum testetur, ut dum uiuit ac valet, liberalior esset in pauperes, quo fit, ut consuetudo ad pios usum testandi introduci queat. Vtrumque probati potest ex c. *Relatum*. 2. De Testam. vbi consuetudo approbatur, qua beneficiarius testamentum relinquit aliqua in usum pauperum, & locorum Religiosorum, vel consanguineorum, aut aliorum etiam diuitum sed non nisi ratione stipendij, quod sit ipsorum ministerijs & laboribus debitum: ergo consuetudo testandi ad pios usum, approbatur: generalis vero ad quoslibet usum, non item. Abbas in capitulo. *Cum in officio*, de testa. approbat consuetudinem testandi, sed solum de rebus mobilibus, ac modicis, quem sequuntur Siluest. verbo. *Cleric.* 4. Angelus in verbo *emptio*. nu. 12. Redoanus de *solis Eccles.* qu. 1. §. 4.

In hac quaestione illud in primis consuetudine est receptum in Hispania & Gallia, testibus Couarruias, Sarmiento, & Nauarro, locis supra citat. & interprete pragmaticae Sanctionis tit. de Annatis, versic. De adquisitis, ut Beneficiarij Episcopi inferiores, si Religiosi non sint, testamentum efficiant de fructibus suorum beneficiorum. Item, ut si ab intestato moriantur succedant eorum haeredes, videlicet parentes, vel fratres, vel alij consanguinei. Et in Hispania huiusmodi consuetudo, ait Couarruias, priuatis regni legibus comprobatur. Nam Carolus V. anno sal. humanae 1542, & Philippus II. eius filius an. 1566. lege lata praeeperunt hanc consuetudinem seruari. Ceterum ea consuetudo vim habet, non quia legibus laicorum confirmetur, sed quia Pontificum Romanorum consensu approbatur. Neque enim Principes profani possunt aliquid statuere de causis Ecclesiasticis quod si statuunt, irritum est & inane statutum des. 96. in principio *ibi Glossa c. bene quidem*, §. c. *ubi nam*, *Cum similibus*. Et certe non est cur ea consuetudo damnetur, cum in ecclesia satis iam nota sit atque permessa. Nusquam tamen siue in Hispania, siue Gallia, Italia, Germania, Polonia, Sicilia consuetudine introductum est, ut Episcopi, & alij his superiores, de redditibus ratione suarum ecclesiarum quaesitis testamentum efficiant; ac idcirco non nisi concessu & priuilegio Rom. Pontif. testantur. Praeterea Beneficiarij Episcopi inferiores, qui Religiosi non sunt, in Hispania, & Gallia, non solum de fructibus beneficiorum ad pios usum & causas testantur, sed etiam simpliciter ad quoslibet etiam non pios, & eis sine testamento decedentibus succedunt haeredes in fructibus beneficij pertinentibus ad eum annum in quo Clericus mortuus est, ut parentes, fratres, ceterive propinqui, etiam si diuites sint, & multis bonis abundent. Neque vero est, quod nobis Nauarrus dicat, solum in more positum esse ut in pios usum testentur, nam certe ex ipsa consuetudine oppositum apparet: nec item est, quod cum Panormitano dicas, solum valere consuetudinem, ut succedant in modicis; nam generatim habet consuetudo, ut succedant in omnibus, siue modicis, siue magnis fructibus.

Obiicies, Beneficiarios lege iustitiae quae superant, in pauperes erogare debere: sed legi iustitiae, cum sit naturalis, consuetudo derogare non potest: ergo talis consuetudo est corruptela. Respondeo, ex supradictis, Beneficiarios, vel iure tantum charitatis debere, quod superat, in communes & solitos pauperum usum elargiri, vel saltem praecipuo & lege ab Ecclesia data: non autem, ut putauit Nauarrus, lege iustitiae, videlicet, quod a piis & Religiosis hominibus sint bona Ecclesiarum donata eo pacto, & conuentione, ut inde sibi sumerent Clerici necessaria, & reliqua in communes egenium usum impende-

rent. Cum itaque Beneficarij præcepto & lege quam ecclesia ipsis imposuit, debeant id quod redundat, egentibus dare: sequitur, ut Ecclesia huiusmodi præceptum & legem possit, vel ex toto, vel ex parte abolere: ac proinde beneficarios hoc iuris vinculo solvere. Et sicut Ecclesie auctoritate Beneficarij possunt hac lege solvi, sic etiam consuetudine recepta, & in Ecclesia approbata: Nam sicut auctoritas humana potest de iure scripto Canonico, vel Civili aliquid remittere: ita & consuetudo moribus Clericorum utentium confirmata. Secundo itidem quis obijciat, hæc tamen esse à nobis dictum, Beneficarios lethale peccatum admittere, nisi id quo abundant, in usus pauperum infumant: ergo consuetudo, corruptela est, qua testantur de fructibus beneficiorum simpliciter in quolibet usus etiam non pios. Respondeo, eos debere, quæ superant, dare pauperibus, præcepto ecclesie, quod consuetudine potest, vel ex toto, vel ex parte abrogari. Dices eius, quod superest ex beneficio, clerici dominium non habent: ergo de re aliena minime testari possunt. Respondeo, nihil referre, habeant necne eius, quod superat, dominium: nam si dominium non habent, id solum erit, quia ecclesia noluit, ut dominium haberent: ac de eo testantur tacito ecclesie consensu, quia consuetudo testandi nota est in Ecclesia, & permilla. Si vero dominium habent, ut ego arbitror habere, sed legibus & Canonibus ecclesiasticis obstructum, de re aliena minime testantur, quamvis iure communi de eo testamentum facere prohibeantur: sed ius commune ipsa consuetudo, ubi illa est recepta, abolevit.

Quid si dices, de fructibus beneficiorum ad vanos & inutiles usus testantur? Dicam, eos quidem peccare, quia sunt in donando prodigi dissipatores, & quia contra Canones, & mandata ecclesie id faciunt, nec consuetudo hanc facultatem concedit, licet eam det, ut in usus quosvis etiam non pios, testantur: nec enim idem est quippiam donare ad usum, qui pius non est, quod donare ad usum inutilem & vanum: hoc enim per se malum est, illud non item. Si petas: an testamentum ad usus vanos & inutiles factum, valeat? Respondeo, in iudicio subsistere, ita ut actio contra testamentum non detur: quamvis Beneficarius male testando peccaverit: sed coram Deo peccatum est, etiam si hæres institutus rei sibi relicte dominium acquirat, ita ut restituere accepta non debeat.

Secundo quaeritur, An Romani Pontificis consensu, possit Beneficarius de fructibus beneficii testari? De hac questione Redeanus tract. de Spol. Ecclesiast. quæst. 7. Dux sunt opiniones: negat prima testari eum posse præterquam ad usus, & causas pias. Sic Archidiaconus, Abbas, & plerique alij, quos refert Covarruvias loco citato, quibus assentit Nauarrus in suis illa prædicta questione 3. contendens Romanos Pontifices nunquam dare facultatem testandi, nisi in causis, quæ ad pietatem spectant. Et quoties potestatem faciunt simpliciter testandi in usus quosvis, id nimirum intelligi in eum sensum, ut in usus tantum pios testari queant, alioqui minime. Id autem solo illo probat argumento Nauarrus: quod bona ecclesie ad Beneficarios transferunt cum hoc onere, ut quæ ipsis vsui non sunt, sed abundant, pie & utiliter expendant, hanc enim dicit fuisse mentem eorum, qui hæc bona ecclesie dederunt: & proinde minime fraudandam: & idcirco iure naturæ, quæ ex beneficijs redundat, egentibus debentur, atque Romanus Pontifex ius naturale laxare, & solvere non potest. Ceteri vero Doctores, qui hanc sententiam primam sequuntur. ut Abbas in eum in offic. de testam. Barbat. in tract. de præstantia Card. par. 1. quæst. 4. ideo negant id licite fieri posse, quia Papa, non dominus, sed administrator & dispensator beneficiorum est: ergo eorum redditus & fructus nullo suo absque legitima causa donare non potest, & idcirco nequit facultatem concedere, ut beneficarius eos fructus in usus, qui pij non sint, impendant.

Affirmat secunda sententia, & verius longe, meo iudi-

cio, atque probabilius. Solent enim Romani Pontifices simpliciter facultatem dare, ut Beneficarij testentur in quoslibet usus, & ut relinquunt siue cognatis, siue externis, & his quidem siue diuitibus, siue pauperibus. Neque obstat quod Nauarrus, Barbatius alijque respondent, in his facultatibus à Summo Pontifice datis semper tacite intelligi eas esse datas ad testandum in pias duntaxat utilitates indigentium: nam Pontifex in vniuersam potestatem facit in quosvis usus, non est igitur cur nos eam facultatem restringamus. Respondet aliter Nauarrus facultates huiusmodi generatim dari, ut in iudicio vim, robur, & locum habeant, non autem coram Deo. Hoc certe responsum mihi minime probatur. Est enim difficile creditur Papam facultatem concedere aliquid faciendi, quod quamvis in iudicio ratum firmumque sit, tuta tamen conscientia bene fieri non potest. Item, cum Episcopus petit à Pontifice facultatem testandi, eam petit, ut sibi liceat sine peccato testari, non solum, ut impune in iudicio faciat, & ne contra ipsum testantem actio detur, neve testamentum tamquam inofficiosum rumpatur aut rescindatur, sed simpliciter ne testando, peccet. Præterea fructuum ex beneficijs provenientium, qui secundum Ecclesie leges pauperibus debentur, plenam ac liberam administrationem Romanus Pontifex habet: ac proinde potest eos in quos voluerit usus, impendere, si boni sint: & vitales, quamvis non pij. Hinc est, ut redditus qui Beneficiario superant, vel Ecclesie, vel successori, vel suo fisco siue Camere Apostolicæ possit addicere, Dices forsitan non posse Pontificem, sine causa iusta eos fructus in quos velit usus distribuere: quod si fiat, erit illa potius bonorum Ecclesiasticorum dissipatio, quam dispensatio. Respondetur, non inficari nos, debere Pontificem iusta ex causa facultatem testandi concedere: sed non est idem, dare facultatem testandi in quoslibet usus, etiam non pios, quod testandi potestatem facere sine iusta causa. Nam ut Beneficarius cognatis, vel amicis, etiam diuitibus, ex fructibus sui beneficii aliqua relinquat, potest esse causa iusta, vel ex parte ipsius Beneficarij, quia sit de Ecclesia & Republica Christiana optime meritus: vel ex parte eorum quibus relinquit, videlicet, quia sunt viri, vel vite probitate, vel doctrina, vel generis nobilitate clari.

Tertio quaeritur, An data à Pontifice facultas Episcopo, vel alteri, testandi in primo testamento, re integra finiat: an vero ad secundum, & etiam tertium porandatur? Covarruvias e. Cum in officio. de Testam. n. 8. docet esse communem sententiam, in primo testamento finiri & extingui: idem docet Redeanus in tract. de spoliis ecclesiast. quæst. 7. vers. Et ista gratia seu licentia: quia in his, quæ ad odia & onera spectant, simplex facultas aliquid faciendi, primum tantum actum respicit, ut colligitur ex l. Bonus §. Hoc sermo ff. De verbo signif. ut facultas in oppidum veniendi data proscripto, & relegato, primo actu finitur. Bartolus in l. 1. ff. Ad legem Iuliam, de Adulteriis, & Abbas, cap. secundo de treuga, & pace. & facultas, ut quis possit duo beneficia simul obtinere, in duobus primis finitur, e. Non potest §. 1. de præben. in sexto. Et cum quis promittit dotem alicui, cum nupserit, de primis tantum nuptijs intelligitur. l. Dotis promissa ff. de Iure dotium. Potestatem arbitro data de prorogando termino compromissi, in prima prorogatione terminatur: Facultas concessa alicui ingrediendi in cœnobium Sanctimonialium, in primo ingressu extinguitur: Quamvis data facultas simpliciter aliquid faciendi in his, quæ sunt favoris & gratiæ, non primo actu finiat. l. Places ff. de libe. & posthum. Ostradius, Annania, Alexander, Decius, ab ab. apud Covarruviam loc. cit. cuiusmodi est facultas eligendi Confessorium: facultatem, qua potest Patronus Clericum nominare. Quare cum facultas testandi odiosa sit in primo testamento finitur. Sic Covarruvias sic Decius consil. 512. Et Socinus in not. consil. 89. li. primo. sic multi alij, quos Covarruvias profert.

Ceterum longe præstat opinio Tiraquel. qui ad l. Bene-

§. Hoc sermo ff. de verb. signif. l. 17. post Baldum ad l. 1. in principio. col. 1. in 2. versis. Deinde quatuor. pone quod principis. in de pace. Co. si. in. d. o. c. et. quando datur simpliciter facultas quippiam faciens quod est iure vel natura sua reuocabile, primo actu non finitur. Verbi gratia Princeps potestatem dedit civitati statuta condendi, qua facultate ciuitas vlt. quippiam statuit, potest illud statutum reuocare, & alterum scribere. Sic etiam datur episcopo facultas, vt possit conficere testamentum, potest primum reuocare, & secundum condere, quoniam testamentum, donec morte testatoris confirmetur, potest reuocari. l. 2. ff. de testamen. leg. 1. Cod. de Sacrosanct. Eccl. l. 1. Ioannes Andreas. §. Dominicus, cap. Non potest. §. Illud. de Præbend. in sexto sic Rotæ Decisiones 1. part. Decision. 47. & ipse Couarr. uias post primam, & secundam editionem mutata sententia Tiriquello adhæsit. Quæ vero principio sunt obiecta idem habent in eis, quæ primo actu suum effectum plenius sortiuntur.

Quarto quaeritur, An testandi facultas à Pontifice data episcopo, vel Beneficiario, obitu ipsius Pontificis concedentis extinguitur? Inde oritur occasio dubitandi, quod mandatum, & integrum, mandantis morte finitur. l. Mandatum. C. Mandati. §. c. Gratian. §. c. Relatum, de officio delegati. Sententia item, qua à communione piorum omnes, qui futurum commiserint, reuocentur perit morte eius qui illam tulit. Glossa in c. A nobis. 1. de senten. excommunicati. Facultas itidem cuiuspiam data, à sua ecclesia recedendi, obitu ipsius concedentis finitur. Glossa in c. penul. de Cleric. non resid. Cum etiam aliquis prohibetur se in arte aliqua exercere, morte eius qui prohibuit, finitur prohibitio, l. vlt. ff. de Penit. Abbas in c. vlt. de officio Legati.

Nihilominus est multorum opinio, facultatem datam alicui testandi, concedentis morte non extingui: nam si cui datur potestas conferendi beneficia, non finitur obitu eius, qui dedit, c. Si cui. de præb. in sexto, §. c. Si super gratia, de offic. deleg. in sexto, & facultas Religiosis concessa confessionibus audiendi, eius qui concessit, morte non desinit. Glossa in Cl. in. Dandum, de sepultis, §. statumus, verbo, ac deinde, & verbo, Concesserunt, & facultas ab episcopo data Parocho ad sepeliendum literas studendi, obitu episcopi non finitur, c. cum ex eo, de elect. in sect. verb. Septennium. Potestas item facta alicui Ordines suscipiendi à quouis episcopo, post mortem concedentis durat Cardinalis, cuius sententia communi consensu recipitur in Clem. vlt. de elect. quæstion. 5. Insuper facultas cuiuspiam concessa alicui in domo sua priuata, morte concedentis non desinit. Item, peccatorum remissiones, quæ Indulgentiæ vocantur, à Legato concessæ, durant eius etiam legatione finita. Innocentius in c. Quod translationem, de offic. Legati. & facultas eligendi Sacerdotes ad confessiones audiendas, morte eius, qui concessit, non terminatur, Antonius par. 3. l. 17. c. 19. Siluester verb. confessor. 1. quæst. 7. Nauarrus de Penit. quæst. 6. c. Placuit n. 161.

Quinto quaeritur, An de eo, quod sibi subtrahit beneficiarius parcius viuendo se portionem sibi ad vitam destinata, possit aut suo statuere quidquid maluerit, ita vt id, quemadmodum & patrimonium, in quos velit vltus impendere queat? Thomas secunda secunda, quæst. 185. ar. 7. ad secundum videtur affirmare, id autem intelligitur, nisi Canon vel lex ecclesiastica obstrinxerit. Nam portionis ad vitam necessariæ, Beneficiarius est dominus: sed dominium est libera facultas, quæ nobis conceditur, vt vitamur nostris reb. nisi lege prohibeamur. Deinde si Filius familias ex portione sibi ad vltum data parcius viuatur, potest quod sibi subtrahit, dare cui voluerit. Et idem est iuris de seruo, cui Dominus certam ad vitam, & vestitum portionem assignauit. Præterea id, quod Clericus ex fructibus beneficii, parte viuendo sibi detrahit, censetur inter bona eius industria, & labore parta: ergo de eo potest decernere, quod voluerit, Sic Nauarrus in tract. de redditibus. eccl. quæst. prima, monit. 43.

Quæres, An de eo moriens, vel in aegritudinem lapsus

possit Beneficiarius sibi arbitrari testari in locis, in quibus Beneficiarius de fructibus beneficii testari de more non possunt, vt in Italia; & vbi que sit Episcopus? Respondet, non posse, quia etiam dum viuere, & valet, in quos voluerit vltus id potest infundere in morte tamen, vel morbo de eo testari iure communi prohibetur, c. ad hoc. c. quæ nota. cum in off. c. relatum. 2. de testa. Dicitur quoque sibi subtrahit, dominium habere: ergo cui voluerit potest id testamento relinquere. Verum id quidem est, dum viuere, & valet, dare eum potest cui ipsi libuerit, at tamen communi iure, cum moritur, vel egrotat, de eo testari non potest, sed prohibetur. Sed nunquid dare conanguineis potest iura conscientia? Respondet, cum S. Thom. 1. 2. q. 10. in fine: nisi moderate, & egentibus. ratione pauperum, & indigentium, non vt ditiores habeat, iuxta illud S. Ambrosii l. 1. off. c. 30. Hac. ff. ap probanda liberis, vt proximos seminis tui ne despicias. si egere cognoscas, non tamen vt tibi ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre iustis.

Sexto quaeritur, An Beneficiarius iure communi cogatur ex alienum contractum dissoluere ex fructibus sui beneficii? De hac quaestione egit Panormitanus in repetitione super ea cum esset, de testamentis, quæst. 4. principali n. 2. Non quaerimus quidnam consuetudine, sed quid iure communi facere debeat. Vbi ait ille, Hostiensis sententia, si beneficiarius nullam ad administrationem habentem, fructibus, ceteris non item. Ita sentit Hostiensis; quia vt Iuperius dixi, parat simplices Beneficiarios, fructuum collectionem dominium habere, & vt fructuarijs comparari: non item reliquos Antonius vero in c. Pernis, de Fidei iur. docet in vniuersum id Beneficiarijs licere facere, quia iniquum est creditores pecunia ipsi debita fraudare. Tum etiam, quia alioqui Clerici in magno damno assiderentur, quia inuenire non possent, qui mutuum ipsis pecuniam darent. Opponent sibi, Clericum totum, quod ipsi superest, egentibus debere: Respondet ille Clericum ex fructibus sibi ad vitam necessarijs parcius viuere, & ex eo, quod sibi detrahit, creditoribus soluere debere. Speculo in c. de senten. excom. versis. Quod si debitum, ait: Aut Clericus alia bona non habens, non potest restituere quod debet, aut habet. Si secundum, ex illis bonis separatim primum, tunc potest iura conscientia ex redditibus ecclesiæ se ex parte alieno liberare. Collectan. in c. Ouardus, de solutionibus. dicit in Curia esse vltus receptum, vt Clericus patrimonio carens, cedat beneficii fructibus, eo solum deducto, quo ad vitam suam indiget, & ita ex reliquis fructibus sit satis creditoribus. Idem testatur Antonius in c. Olim 2. de restitu. spoliat. Archidiaconus in cap. statutum. §. Assessor, de rescript. in sexto, absolute negat licere Beneficiarijs debita ex beneficii fructibus soluere. Abbas loco citato, magis probat Archidiaconi sententiam, sic dicens: Aut Clericus ex alienum fecit, quia egestate premebatur, vt vitam sustentaret: & hic non solum dum viuere, sed etiam moriens, ex fructibus beneficii satisfacere creditoribus debet. Vnde in cap. Olim 2. de restitu. spoliat. Episcopus qui fuerat Episcopo spoliat, & nihil habebat vnde viuere, ac alienum suscepit: ac propterea Pontifex præcipit, vt ex redditibus ecclesiæ, debitum soluat: Aut Clericus se arte alieno obstringit, non vt se sustentet: sed vt alijs suis necessitatibus subueniat, videlicet, vt domum suam reficiat, vineam, aut agrum colat: & hic ex fructibus beneficii se ab arte alieno, quod ijs in rebus agendis contraxit, liberare nequaquam potest, quia cum res alienum factum non est in rem, & utilitatem Ecclesiæ, creditoribus ecclesiæ obligata non est. Et ideo in c. 1. de solutionibus. successor in ecclesiâ prioris Beneficiarij debita soluere non cogitur, nisi ea contracta fuerint in ipsius ecclesiæ utilitatem. Et c. Ex presentium de Pignori. res alienum, quo se Beneficiarius obstrinxerat, vt pote in utilitate proflus, successor in beneficio soluit, non tamen alia debita: hæc enim, hæres Beneficiarij, non successor in beneficio soluere cogitur.

Obijciens id, quod dicitur in c. Cum secundum Apostolum,

de præ-

de praben. Clericum debere ex bonis Ecclesie vivere: ergo ex bonis Ecclesie solui debet omne res alienum, quod ob necessitates contraxerit. Respondeo, cum Abbate in c. ex presentium, citato, omne res alienum, quod Clericus facit, ut habeat unde sustentet, ex fructibus beneficii solvendum: non tamen quod contrahit, vel patrimonium suum conferuet, vel domum reparat, vel agrum colit. Secundo obijcies, in cap. Peruenit. Pontificem precipere, ut creditoribus facis fiat ex redditibus Clerici. Respondeo, cum Abbate, statuisse Pontificem, ut res alienum solvatur ex redditibus Clerici, quos videlicet alium de habeat, nempe, ex patrimonio: vel id factum esse auctoritate Papae, qui fructus pauperibus alioqui debitos, potuit creditoribus addicere. Tertio obijcies ex c. Adde hoc, & c. Relatum 2. de testamento. constare, Clericum posse ex fructibus beneficii rem modicam donare, & elemosynam largiri: ergo potest etiam creditoribus satisfacere. Respondeo, modicam pro nihilo haberi, & elemosynam ad inopiam, & egestatem subleuandam dari. Aliud vero est de ere alieno magno facto, & de creditoribus, quibus aliunde bona suppentur, unde viuant. Rogabis, num si Clericus parcius, ac moderatus viuat: debeat res alienum soluere ex eo quod sibi subtrahit? Negat Panormitanus. Sunt autem qui dicunt, Clericum non esse cogendum parcius vivere, ut creditoribus satisfaciat. Ceterum si parcius, honeste tamen se sustentauerit, iure potest ex eo, quod sibi detrahit, res alienum dissoluere. Imo eodem teste Panormitano in c. peruenit. de fideiuss. 12. consuetudine receptum est in iudicio, ut ex redditibus beneficii Clericus debitum soluat, deductis ijs quibus ad vitam usum eger. Nam ut Glossa notauit in c. statuat. dist. 2. a debitore Clerico non sunt omnia extorquenda, sed remitti ei debet unde vivere queat. Quoniam miles armata militat, non cogitur omnibus bonis cedere, nec convenitur nisi ut faciat quod commode potest, ne eger cogatur. l. Miles ff. de sent. & re iudic. ergo nec Clericus qui est miles sacrate militat.

Septimo quaeritur: Cuius sunt iure communi fructus Beneficarii vita suacti ex beneficio collecti, percepti, & relict? hoc enim multum interest scire, praesertim ubi nulla est consuetudine receptum, ut Beneficarii testentur: vel fructus quos ex beneficijs perceperunt, ad consanguineos haeredes transmittant. Respondeo, iure communi ad Ecclesiam, in qua beneficium habuit, pertinere. c. Placuit. 12. q. 3. c. 1. Ead. causa q. 4. c. Fixum. rursus ead. causa. q. 5. c. 1. Et c. cum in officio de testam.

Verum id in quaestione versatur, Quid nomine Ecclesiae iure legitur? Respondeo, si Beneficarius Canonice, vel Personatum habuerat in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiali, ad Collegium Canonicorum pertinere. Si vero simplex aliud beneficium habuerit, ita ut Beneficarius non sit ex Collegio Clericorum, successoribus debent, Verumq; colligitur ex c. Relatum 2. de testam. §. Quia vero, c. cum non. de offi. ord. c. Praesenti, eo. 1. in 6. Si quis item Clericus beneficia habeat in duab. Ecclesijs, fructus ab eo relict iater eas, iuxta congruentem aestimationem diuidantur, v. g. ut explicat Glossa in c. Relatum 2. de testam. verbo. congruum & ibi Abbas, Titius fuerat Canonicus Bononiensis. & Parmensis: ex Canonicatu Bononiensi percipiebat centum, ex Parmensi, ducentos nummos aureos; Bononiensis ecclesia vnam partem fructuum remanentium, Parmensis vero duas habebit, ut ei plus detur, a qua plus percipere consuevit.

Octauo quaeritur, ad quem pertineant bona relict a Clerico vita functo, quae postquam fuerat ad beneficium promotus, acquisierat? Respondeo, in hunc modum cum Abbate in repetitione supra. citat. q. 3. principali n. 25. aut certo constat, Clericum patrimonium simul, & beneficium habuisse, & tunc si apparuerit etiam bona fuisse ex patrimonio acquisita, pertinent ad haeredes Clerici: si vero consulerit ex beneficio fuisse, partim debentur Ecclesiae quod si dubitetur, ex patrimonio ne, an ex beneficio sint acquisita, ea partim haeredibus, partim ecclesiae debentur

aut certo liquet, cum beneficium tantum, & non patrimonium habuisse: & tunc omnia bona relict pertinent ad Ecclesiam, in qua beneficium habuerat: aut dubitatur, patrimonium simul, & beneficium habuerit, & tunc bona relict iuter haeredes & Ecclesiam diuidentur.

Nono quaeritur, An Romanus Pontifex iure poterit sibi reseruare fructus beneficiorum, quos Beneficarii in vita perceperunt, & post obitum reliquerunt? Sciendum est, in Italia, ubi consuetudo non est, ut Beneficarii, quicumq; sint illi, testentur de fructibus beneficiorum, nec relictus post mortem transeat ad consanguineos haeredes, redditus ex beneficijs relictus, qui iure communi, ut dixi, vel Ecclesijs, vel successoribus, debentur, Romanos sibi reseruasse Pontifices, ut eos in vius quos maluerint, dispensent: quae vulgo spolia Clericorum dicuntur: ad quem nimirum vendicanda, & obtinenda, Collectores Pontificij destinantur: & Paulus III. fuit primus, qui Constitutionem edidit, qua declarauit spolia Clericorum ad Camera Apostolicam, sine sicutum Pontificum pertinere, nam antea Apostolica Camera, spolia Clericorum consueverat vti rece, ta, non scripto iure communi vendicabat. Paulo III. qui successit Pontifices spolia Clericorum eidem Camera Apostolicae soluis, editis hac de re Constitutionibus sanxerit. In Hispania certe, hoc est, in Principijs Castellae Regno subiectis, sola Episcoporum spolia camerae Apostolicae debentur: ut enim iam dixi, ceteri Beneficarii Episcopis inferiores, de morte testantur de fructibus beneficiorum, quod si intestati decedant, relictus fructus ad eorum haeredes perueniunt. In Gallia vero, Germania & Polonia, redditus Episcoporum relictus, Ecclesijs, vel successoribus, aut iure communi, aut consuetudine conferuntur reliquorum beneficiorum fructus, aut testamento legantur, aut pertinent ad haeredes, si absq; testamento Clericus è viuis excesserit, ut in Gallia, vel ad successores transeant, ut in Germania, & Polonia.

His positus, constat Romanum Pontificem redditus beneficiorum post obitum Clericorum relictos, sibi & suae camerae Pontificiae reseruare potuisse, ut reuera reseruauit, quoniam iure tantum scripto canonico, non diuino, aut naturali ecclesijs, vel successoribus, debentur: quod ius potuit auctoritate Rom. Pontificis antiquari. Deinde quia Rom. Pontifex huiusmodi bonorum administrator potest igitur ea in vius pios quos voluerit, dispensare. Praeterea non est Rom. Pontificis potestati denegandum ius, quod in hisce bonis potest consuetudo introducere: at consuetudine receptum est, ut redditus Ecclesiarum vacantium in primo, & secundo anno pertineant ad Clericum Beneficarium vitam functum, ut ex eis res alienum, quod contraxerat, solvatur, c. Si propter tua. de rescrip. in sexto. §. c. tua. de verb. signif. & in Extraneanti Joannis 22. cuius initium est: Suscepti de e. lect. & habetur etiam inter extraneantes communes, tit. de sede vacante. Et alicubi est in more positum, ut beneficario è vita decedente, Episcopus ex nobilibus, aut semoventibus bonis eius, ius habeat optandi, & vendicandi sibi birem vnam quom maluerit, siue ex sit mancipium, siue equus, siue res alia pretiosa, & nobilis.

Decimo quaeritur, An id quod Clericus lucratur ex distributionibus, quotidianis, possit iura conscientia in quos voluerit vsus impendere, vel in vita donando, vel testamento in morte legando? Nauarrus in suo tractatu de Rebus Ecclesijs. quaeestione prima, Amonitio tertia, docet id esse iuris de distributionibus, quotidianis, quod de fructibus beneficii idem videtur primo sensisse Oldra. conf. n. 8. quod incipit: Ex virtute gratiae. & ideo, sicut Clericus ex fructibus beneficii, deducto eo, quo ad vitam vsus indiget, reliquum in communes pauperum vsus debet insumere, sic etiam ex distributionibus solum sumere potest portionem ad victum & vestitum necessariam, & reliquum in pauperes erogare debet: quia quotidianae distributiones ex eisdem bonis, videlicet decimis, & primitijs colliguntur, ex quibus redditus beneficiorum: ergo Clericus hac conditione, & lege distributiones quotidianas acquirit, ut

inde sibi sumat, quod est necessarium ad vitam, & reliquam pauperibus largiatur. Secundo, quia Clericus distributiones quotidianas acquirit ex ministerio quo seruit Ecclesie: ergo sibi, & pauperibus acquirit.

Ceterum, mea quidem sententia, probabilis opinatur, ij, qui volunt Beneficiarios esse distributionum quotidianarum sibi obuenientium dominos, & posse Clericum, quidquid ex distributionibus quotidianis lucrificerit, suo arbitratu dispensare. Sic in ca. 1. de Cleric. non resid. in 6. Dominicus, Barbat. & Franciscus ex Ionn. Andr. & Abbate. Sic Laurentius in Clem. ult. de prob. Nicolaus Vbold. in tract. de success. ab intest. Cler. §. ult. versic. Sext. quero. & versic. non obstant motus Cud. Sic Angelus verb. (Cleric.) 13. n. 3. Rosella eo. verb. 4. n. 2. Silu. eo. verb. q. 44. Testatur etiam Couarrua in c. Cum in off. de Test. n. 4. cum Parisio cons. 33. in vol. 4. esse opinionem communem. Nam distributiones quotidianae Clerico soluantur, tanquam laboris merces, operæ, & ministerij stipendium: ac proinde potest Clericus de eo statuere, quod voluerit, ut potest operarius de mercede sui diurni laboris.

Nec impedit, quod distributiones sint ex decimis, & primitiis detractæ: quoniam non dantur Clericis, ut fructus beneficii, sed ut stipendium ad opera Ecclesiastici ministerij sustinenda. Vnde eas Clericus acquirit, ut operarius Domini laborans: ergo ratione personæ, non ecclesiæ. Quemadmodum Grammaticæ professori solet conferri præbenda, ut Clericos Grammaticam doceat: & habeant curam pulsandi æra campana, aut musica instrumenta, redditur portio ex præbenda aliqua, ut laboris merces, & operæ stipendium. Quid si beneficium, dices, nullos alios fructus habeat, nisi distributiones quotidianas, quæ quoti die dantur ijs, qui præsentibus Diuinis intersunt, vel ad exitum anni, ubi præbendæ distinctæ non sunt, sed in commune possidentur, An eas quoque Clericus suo nutu, in usus quos voluerit, possit impendere? Respondeo, cum Silu. ex Abb. & Dominico, posse: quia siue distributiones sint à beneficii fructibus distinctæ, siue secus, eas clericus acquirit tanquam mercedem, & stipendium laboris. Idem iuris est de distributionibus, quæ ex annuatarijs de functionum exequijs acquiruntur, ca. 1. de Cler. non resid. in sexto. Idem quoque dicendum de ijs, quæ acquirunt Clerici ex Capellanij, quæ sunt ad nutum reuocabiles, & non dantur ut beneficia, sed ut stipendia pecuniaria ad exitum anni, ratione laboris, & operæ personalis. Angelus, Silu. Dominicus, Franciscus, & alij locis supra citatis, & Redoanus in tract. de spoliis Eccl. quest. vltima, versic. Alij domum fructus, & quest. 6. n. 18. & quest. 8. versiculo. in secunda specie in fructibus.

Vndecimo quaeritur, An Beneficiarius libere dare possit, quæ acquirit non ratione beneficii, nec ratione personæ: hoc est, non ex redditibus beneficii, nec industria labore, arte, doctrina, donatione, sed ratione dignitatis, vel ordinis Ecclesiastici. Sic exemplum: Titio Sacerdoti data sunt multa, quia rem diuinam sapienter fecit, aut quia conuersiones habuit, aut quia Episcopus, alicui, vel Duci, aut principi tanquam Capellanus inseruit: ad tempus. Quaeritur, an de his possit suo nutu testari: Quidam videntur negare, posse Clericum de his bonis testari: quia de his idem iuris est, quod de bonis ratione ecclesiæ acquisitis. Oppositum affirmant Innocentius, & Hostiensis in c. Quia nos. de testam. quod & magis Abbati placuit in c. Cum in off. eo. sic. Nam quidquid Clerico hac causa, & ratione datur, non datur ratione Ecclesiæ, ut videlicet, ex eo sibi sumat, quod est vitæ necessarium, & reliquam tributat indigentibus, sed ratione laboris quem sustinet, & ratione ministerij, quod præstat. Deinde etiam, quia datur ad compensandum damnum: possit enim Clericus industria, opera, & labore sibi quippiam aliud comparare: Quare hæc bona sunt eiusdem rationis, cnius sunt ea, quæ industria, & labore quaeruntur à clerico, de quibus potest facere testamentum.

Duodecimo quaeritur, An ea, quæ Clericus acquirit

ratione Ecclesiasticæ pensionis, quam percipit quousque, anis ex beneficio alienus, possit vel donando, vel testando dispensare: quod est quaerere, An qui pensionem ecclesiasticam habet, possit nutu suo statuere, & testari de fructibus ex pensione perceptis? De hac questione inferius, cum de pensionibus ecclesiasticis differemus. Illud satis sit nunc dixisse, Nauarrum Tract. de Redib. Eccl. §. 1. monit. 32. n. 2. & de spol. Cler. §. 8. n. 8. docuisse, idem esse de bonis ex pensione Ecclesiastica acquisitis, quod de fructibus beneficii iudicandum. Et sermo est de pensione, quæ datur alicui, ut Clerico, non de ea, quæ datur alicui, ut laico.

Veniens tamen longe quis dicat, posse Clericum iure communi, secluso iure speciali Pontificio, & vsu Apostolicæ Cameræ de spoliis Clericorum alicubi recepto, de ijs bonis statuere, quod ipsi libuerit: ac proinde testari non secus, ac de patrimonio suo. Sic Couarruas de Testam. cap. Cum in off. num. 6. Gigas de pensionib. quest. 2. Paulus Rom. de pensioni quest. 8. versic. 1. Ecclesiastica pensio, Redoan. de spol. Clerico q. 3. §. 1. n. 27. & 28. & §. Quia dicendum, n. 7. & §. 8. §. deueniendo. n. 24. & sequentibus. & in tract. de Alienat. rerum Ecclesiastica q. 33. c. 5. n. 24. & seq. quamuis hic Auctor tandem dubitare videatur. Communem sententiam sequitur Caccialu. tract. de pensioni. q. 25. & Gigas ait, q. 32. supra citata se ita sepe consultum respondisse, & Rotæ Auditores sic iudicasse, item teste Redoano, quest. on. 3. de spoliis Ecclesiasticis §. quid dicendum, num. 12. Auditores Rotæ sic definitur, seclusis constitutionibus, & Bullis Pauli Tertii, & Iulij Tertii, ac etiam vsu Cameræ fuit conclusum, quod pensiones decurse, & non solutæ, non computentur inter spolia, sed magis transeant ad hæreses: quia pensio non est beneficium ecclesiasticum, sed consistit in mera temporalitate. Sic illi.

Obiicies: Pensio in locum beneficii subrogatur: ergo naturam, & conditionem eius sortitur, in cuius locum sufficitur? Respondeo, non subrogari tanquam beneficium, quia beneficium propter officium, & ministerium conferitur, ac pensio datur, ut quoddam vitæ subsidium. Secundo obiicies, pensionem aliquando dari, eo quod quis suum beneficium dimiserit, cetera sibi reseruata pensione: datur etiam interdum ad litem de beneficio dirimendam: aliquando etiam, quia quis alteri datur adiutor: ergo videtur in locum beneficii supponi? Respondeo, pensionem quacunque ex causa dari, dummodo data non sit tanquam beneficium, non sortiri beneficii naturam, & conditionem, cum detur ad vitæ subsidium: ac proinde Clericus si non sit Religionis professione adstrictus, de fructibus ex pensione ecclesiastica comparatis, potest statuere quidquid ipsi libuerit, suo arbitratu.

Decimotercio quaeritur, An Clericus patrimonium habens commodum ad vitam suam tuendam, beneficium ruto possit acquirere, vnde viuat. Hanc questionem tractat Adrian. in quarto de restitut. quest. qua incipit. Quia supra determinatum est, & Mai. distinctione vigesima quarta, questione vigesima prima. Questionem mouet id quod habetur in cap. vltim. 16. questione prima, & cap. Sacerdos, 1. questione secunda, & cap. Illi autem qui, 12. questione prima, & ex alijs Canonibus, quos Glossa ibidem refert. Hieronymus enim, ut habetur cap. vltim. ad finem 16. question. 1. ait Clericos illos conuenit Ecclesia stipendijs sustentari, quibus parentum, & amicorum nulla suffragantur bona, qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod est pauperum, accipiunt, sacrilegium profectio committunt. Et Prosper. ut refertur in cap. Pastor. 1. questione secunda. Illi, inquit, qui sua possident, dari sibi aliquid volunt non sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt. De Clerico quidem dixit Spiritus sanctus Osee 3. Peccata populi mei comedent. Sed sicut nihil habentes, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, qui ut abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Hæc ibi Decius in cap. Postulasti. de rescript. negat, Clericum habentem commodum patrimonium: posse licite ex bonis

Ecclesie vivere, sed in c. *Episcopus. de prob.* oppositam sententiam sequitur.

Dicendum existimo ex communi sententia omnium, videlicet, Innocentij, Hostiensis, Andree, in ca. *Episcopus, de Praben. quos sequitur Panormitan ibidem, & in Disputati- one que incipit: Titius Clericus dub. 4. & capit. 3. de Pignori- bus.* Card. in. Felix in capitul. *Postulasti. de Rescrip. Socin. consil. 91. volum. 3. Conar. de testamen. cap. 1. numero secundo, id Clericum posse tuta conscientia. Nam teste Apostolo, nemo militat suis stipendiis, & Qui ab ar. inferuit, de al. ar. vi- uere debet: Ergo Clericus, Ecclesie gratis inferuire non cogitur, & propterea potest ministerij, laboris & operae mercedem, & stipendium exigere, Sic etiam Caietanus sentit in secunda secunda questione 185. numero septimo. At Adri- an. questione citata. 5. conform. iter huius opinionis dicit, licitum esse Clerico habenti patrimonium vite sufficiens vivere ex bonis ecclesie, dummodo patrimonij fructus in pios vsus impendat: has minime. Sed non est cura communi sententia reced. minusquam secuti sunt etiam Maior in quarto d. st. 2. qu. 22. Sotus de Inst. lib. 10. qu. 4. art. 3. prope finem. Nauar. tract. de Rediti. lib. 10. qu. 32. numero primo, & eam videtur vsus ipse confirmare. Canones vero illi superius allati solum locum habent in Clericis, qui patrimonium habentes, cum pauperes summa alio- qui, vel graui egestate premantur, nec adsint alia, ex quibus eorum inopia subleuari queat, nisi Ecclesie bona, ea capiunt, sibi retinent & seruant. Sic eos Canones inter- pretantur sanctus Thomas secunda secunda, questione 185. articulo septimo, ad tertium, & Maior & Sotus locis citatis, Couarruias in locis predictis. Vel locum habent in ijs Clericis, quos olim, cum veteres Canones vigeant, aliquae Ecclesie ad ordines non promouebant, nisi communem vitam agerent, & certae asciberentur ecclesie, cui inset- uerent, & ex eius bonis alerentur.*

Decimoquarto quaeritur, An beneficiarius, qui ex Pa- trimonio aliquid in ecclesia utilitatem insumpserit, tunc possit tantumdem ex fructibus beneficii sibi sumere, & id, in quos voluerit vsus impendere, ita vt de eo etiam nutu suo statuere queat: Respondet, ex communi quoque sen- tentia, quam sequitur Nauar. in *Manuali, cap. 17. nu- mer. 94. & de Rediti. bus, questione prima, monit. 27. numero quinto, & questione, tertia, monit. 4. n. tertio, & monit. 32. posse quoniam quod ex suo in Ecclesia vsus impendit, benefi- cij fructibus compensari.*

CAP. X.

Alia itidem questiones eiusdem argumenti di- luuntur.

PRIMO quaeritur, Ad quem communi iure pertineant ea, quae beneficiarius emit, etiam suo proprio nomine, vel alieno, non ecclesie, ex pecunia siue ex beneficii fru- ctibus. Explico quaestionem. Titius Clericus ex sui benefi- cij fructibus, comparata pecunia emit domum, agrum, e- quum, vel liberos suo, non ecclesie nomine: Quaero, An huiusmodi bona empti, pertineant ad ecclesiam, in qua beneficium obtinet, An vero ad ipsum Titium Clericum? siquidem videntur esse bona propria industria acquisita. Nam pecunia sine hominis industria factum non parit. Deinde empti ex pecunia fortuita, non quaeruntur domi- no pecuniae, sed emptori, quamuis furi: vt constat ex l. *Si pe- cunia, C. de rei vendicat.*

Duae sunt sententiae: Prima in vniuersum ait, omnia ip- so iure ecclesie deberi, siue sint bona immobilia, siue mo- bilia, siue se mouentia, vt fundus, liber, equus. Hanc sen- tentiam late probat Sarmenus tract. de Rediti. eccles. par. 3. e. 2. Sed ille confundit omnia, ratus idem iuris esse de emptis ex redditibus beneficii, quod de emptis ex bonis ecclesie, cum sit tamen ratio diuersa. Nam quae emit be- neficiarius ex bonis Ecclesie, communis est sententia, ea

fieri ipsius Ecclesie, quamuis Clericus, non Ecclesie, sed alieno, vel suo nomine emat, vt docent Innocent. Hosti- ens. Ioan. Andr. & Glo. in cap. cum in Officiis, de Testam. & ca. 1. de Pecul. Clerico. Couarruias item in cap. 1. Testam. num. 5. & alij iuniores, atque etiam Summistae, Angelus verb. empt. numer. 12. Siluester eod. verb. numer. 22. Id probant ex c. *Placuit. 12. qu. 3. c. Presbyter, c. Sacerdotes, c. Quian- que, eadem Causa qu. 4. cap. 1. Cap. Inquirendum, c. Fixum. 12. q. 5. c. xl. de Pecul. Clerico. quibus locis decernitur, quae emit Clericus, vel administrat Ecclesie ex redditibus, & bonis ipsius ecclesie, non sibi, sed ipsi Ecclesie eam acqui- rere. Sed quaestio nunc est, non quidem an quae emit Cle- ricus ex pecunijs, siue bonis Ecclesie, sicut ipsius Ecclesie, sed an quae beneficiarius emit ex fructibus sui beneficii suo nomine, non Ecclesie, computentur in bonis ipsius Ecclesie. Quidam distinguendo sententiam bona immo- bilia ex fructibus beneficii empti, ipsius Ecclesie fieri, non tamen mobilia, se mouentia, quae sibi Clericus ac- quirat. Sed haec sententia merito ab omnibus rejicitur, quia Canones, & iura nihil distinguunt. Secunda igitur sententia est Nauar. in *Tract. de redditibus Eccles. qu. 32. monit. 42. generatim affirmantis, empti ex redditibus be- neficii sibi Clericum comparari, non Ecclesie, nisi fue- rint ipsius Ecclesie nomina empti, aut ipsi tradita: Id ille probat, quia in constitutionibus Pij Quarti, & Pij Quinti, de spol. Cleric. huiusmodi bona empti, inter spolia Cle- ricorum computantur, vnde & ea sibi Pontificus sicut, id est, Camera vendicat Apostolica: ergo non sunt Eccle- siae bona, sed Clericorum si in Ecclesia dominium tran- sissent, ea tanquam Clericorum spolia, Pontificia Cam- era non sibi vendicasset.**

Mihi prima sententia, tanquam communis, & vera, probatur, quod attinet ad ea, quae emit Beneficiarius ex pecunijs siue bonis ipsius Ecclesie, quamuis non nomine Ecclesie emerit. Quoniam licet generatim ius civile constituit in l. *si ea pecunia, C. de rei vendicat.* empti pecu- nias alterius, in dominium emptoris transire, non domi- no pecuniae debet: peculiare tamen ius est de his, quae emit tutor, vel curator, vel administrator ex pecunijs pu- pilli, minoris, ciuitatis l. 2. ff. *Quando ex factis tutoris, vel mi- noris 4. l. si res proptis, C. de rei vendic. vel Ecclesie, ca. 1. §. 2. 12. questione tertia, & capitul. Exum. 12. questione quinta, haec enim pertinent ad dominum ipsius, cuius sunt pecuniae, non emptoris. Attamen existimo, quidquid dixerit Sar- mentus loco supra citato, nihil expressum sanxisse Canones, & iura de ijs, quae emit Beneficiarius suo nomine ex sui beneficii pecunijs, arbitror enim Canones supra citatos locum tantum habere in his quae Clericus emit ex ipsius Ecclesie bonis, aut in his, quae emit nomine ipsius Ec- clesie, in quo Ecclesia pupillo, minori, ciuitati, & militi comparatur. Quamuis putet Sarmenus, Canones in r- niuersum appellare redditus, pecunias, & bona Ecclesie quae Clericus habet ex sui beneficii proventibus, Patri- monium enim Clerici ius Canonicum dicit esse ipsius Clerici, beneficii vero redditus, asserit esse bona Ecclesie, quoniam eos Clericus habet ex ecclesia, patrimonium ve- ro habet ex suo.*

Ceterum dicendum arbitror, Beneficium idem iuris habere in ijs, quae emit ex sui beneficii fructibus, quod in fructibus ipsius. Quare sicut beneficiarius fructibus benefi- cij, quod pertinet ad portionem sibi debitam, facit suos, & sibi, non ecclesie acquirit: sic quae suo non Ecclesie no- mine emit ex beneficii fructibus, sibi non ecclesie acqui- rit: & in vita donare potest suo nutu, quamuis de eis testa- ri iure communi non possit, vnde sicut fructus, si nihil de ipsijs Beneficiarius in vita constituit, iure communi ad ec- clesiam, vel successorem spectant, sic etiam bona empti, quae dixi, iure communi antiquo in bonis Ecclesie computantur, & ad eius dominium pertinent, quando nihil de ipsijs beneficiarius qui emit, in vita statuit. Quapropter, cum consuetudine, & iure nouo sit intro- ductum, vt Pontifices ea sibi reseruauerint, quae Be- neficia-